



## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

Art. I. An bona intentio ex prava electione vitietur, & electio prava ex bona intentione rectificetur, vel saltem bonitas intentionis, diminuat malitiam electionis?


---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](#)

de actibus supra enumeratis dicit: *sive feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injuriam.* Nam icto ly feceris denotet actum particularem & in individuo, potest tamen & debet intelligi Hieronymus de illis operibus sumptis in particulari, & ut fiunt in individuo, secundum id individuale quod habent ex objecto; ex qua parte verum est, praedictos actus, sive fiant, sive non fiant, neque ad justitiam nec ad injustitiam pertinere. Ob hoc tamen non negat quod ex fine, & aliis circumstantiis, quæ objecto & specieci accidunt, debeant tales actus habere bonitatem aut malitiam, supposito quod fiant cum deliberatione.

45. Objicies quartò? Si quis ob exercitium dum taxat propriæ libertatis, aliquem actum ex specie & objecto indifferenter eliceret, v. g. festucam de terra levaret, talis actus neque esset bonus & honestus, neque malus & vitiatus, sed omnino indifferens; cum exerceat propriam libertatem, non sit determinatè bonum, aut determinatè malum, sed purè indifferens: Ergo potest dari actus indifferens in individuo.

46. Respondeo, quod si aliquis semel tantum aut bis aliquem actum ex specie & objecto indifferenter faceret, eo solo fine ut libertatem exerceat, talis actus esset bonus & honestus; haberet enim finem honestum, scilicet exercitium propriæ libertatis, quam aliquando exerceat, etiam circa actum ex objecto indifferenter, honestum est. Si vero sapere vellet ob eum duntaxat finem operari, tales actus non essent boni & honesti, sed mali & otiosi: quia licet semel aut iterum exerceat libertatem circa actus indifferentes, honestum sit, & ratione consonum, sepius tamen id facere, nullam habet honestatem, sed otiositatem.



## DISPUTATIO VI.

*De moralitate actus interioris.*

*Ad questionem 19. D. Thome.*

**E**GIMVS huc usque cum D. Thoma qu. 18. de moralitate actuum humanorum in communi: nunc breviter dicendum de moralitate actuum interiorum, qui sunt præcipue intentio & electio, de qua S. Doctor qu. 19.

## ARTICVLVS PRIMVS.

*An bona intentio ex prava electione vitetur, & electio prava ex bona intentione rectificatur, vel saltem bonitas intentionis, diminuat malitiam electionis?*

**L**ETRIA hic inquirimus, seu tres difficultates breviter hic discutendas movemus. Prima est, an actus intentionis, qui ex se & ex proprio objecto non habet unde vitetur, sed ex illa parte fore bonus, ex eo quod sit causa malæ electionis reddatur malus: v. g. cum quis ex intentione efficaci dandi eleemosynam furatur ut tribuat eleemosynam, quaritur an intentio illa sit mala, seu vitiata ex electione hujus mali medijs: Se-

cunda difficultas est, an intentio boni finis possit aliquando totaliter auferre malitiam electionis pravi medij: v. g. an liceat aliquando mentiri ad tuendam vitam proximi, vel aliquod grave damnum evitandum? Vel utrum virgo, ut invasorem suæ pudicitiae effugiat, possit absque peccato se præcipitare in flumen, aut sibi manus violentas inferre? Tertiò queritur, an supposito quod intentio boni finis non auferat totaliter malitiam prava electionis, eam saltem aliquatenus minuat; ita ut furtum quod fit ex intentione dandi eleemosynam, non sit adeò grave, sicut esset, si absque hujus boni finis intentione fieret.

## S. I.

*Prima difficultas resolvitur.*

**D**I CO PRIMÒ: Quando intentio per se & necessariò cum prava electione connectitur, ab ea vitatur: secùs vero, si per accidentis tantum, & ex malitia eligentis, cùm ea conjugatur.

Probatur prima pars: Quando intentio per se & necessariò cum prava electione connectitur, in eam influit, ipsamque virtualiter continet; nam intentio est voluntas circa finem, non quomodocumque, sed ut acquirendum per media, & ex ipsa movetur operans ad ea eligenda: Sed quod influit in peccatum, seu trahit voluntatem ad illud, malum est: Ergo intentio quæ per se cum prava electione connectitur, eamque necessariò infert, est mala, & à tali electione vitatur. Unde S. Bernardus in libro de dispensatione & præcepto cap. 17. dicit quod *ut rectus sit oculus intentionis, duo requiruntur, nempe charitas in intentione, & veritas in electione:* hoc est rectitudine finis, & medij electi.

Probatur secundò: Actus humani bonitatem aut malitiam moralem desumunt à circumstantiis, ut suprà ostensum est: Sed cùm aliquis ex intentione efficaci dandi eleemosynam furatur, *D*isputante furtum est circumstantia illius intentionis: Ergo eam vitiat & eorrumpit. Minor probatur: Effectus per se ex aliqua actione sequutus, est circumstantia *Quid:* id etiam quod ad aliquid faciendum præstat opem & auxilium, est ejus circumstantia, nimurum circumstantia *Quibus auxiliis:* Sed cùm aliquis ex intentione efficaci dandi eleemosynam furatur, furtum est effectus per se ex tali intentione sequutus, & medium cuius ope & auxilio utitur ad finem illum obtinendum: Ergo ex duplice capite est circumstantia illius intentionis.

Probatur tertio: Sic se habent intentio & electio in practicis, sicut principium & conclusio in speculativis, ut docet Philosophus 7. Ethic. cap. 8. Sed quando ex aliquo principio per bonam consequentiam infertur conclusio falsa, tale principium in se falsum est: Ergo similiter cùm ex intentione per se & necessariò infertur prava electio, seu eligitur malum medium, talis intentio est in se mala & viciosa.

Ex his probata manet secunda pars conclusio: Nam quando intentio non connectitur per se cum prava electione, quod assūmatur malum medium, non provenit ex vi intentionis, que id non exigit, nec ad id determinat voluntatem, cùm illa sit contenta electione medijs honesti quo finis possit obtaineri, sed malum medium provenit ex pravitate voluntatis illud eligentis: Ergo tunc electio talis medijs non reddit malum primum intentionem; sicut cùm ex defectu arguentis,

tis, ex principio vero deducitur falsa conclusio, hujus falsitas non redundat in ipsum principium, nec illud reddit falsum, sed in arguente, qui male ipsum applicat, & ratione hujus mala applicationis ex vero falso deducit. Unde qui habens bona propria efficaciter intendit date eleemosynam, in tali intentione non peccat, etiam si ut illam det, postea furetur: quia furtum non sequitur per se ex tali intentione, sed ex prava voluntate & malitia peccantis, nam poterat etiam ex propriis dare eleemosynam. Qui vero non habens unde faciat eleemosynam, nisi ex alienis, cum efficaciter dare intendit, peccat: quia ex tali intentione per se & necessariò sequitur furtum, sive acceptio rei alienae; sive illa intentio, cum per se sit ratio volendi malum, est inordinata, & perversa. Similiter qui vendit agnum sacerdoti idolorum, non peccat, etiam si sciat illum idolis immolaturum, quia talis immolatio non per se sequitur ex agni venditione, sed ex prava sacerdotis voluntate: poterat enim illo agno utili ad faciendum convivium amico. Si autem illi vendat vestes cultui idolorum deputatas, procul dubio peccat: quia cum non possint tales vestes ad alios usus deservire, cultus idolorum per se sequitur ex tali venditione.

Confirmatur: Quando malum medium per accidentis conjungitur fini honesto, non est ejus circumstantia; quia nec est effectus per se ex illo sequatur, nec medium per se ad ejus assecutionem conducens. Ergo tunc intentio non vitiatur ex electione illius. Unde S. Thomas in hac qu. 19. art. 8. in argumento *sed contra*, & in 2. dist. 38. qu. 1. art. 5. concedit dari aliquando rectam intentionem cum mala electione: quod non potest alteri contingere, quam in casu nostra conclusionis, quando scilicet intentio non influit per se in pravam electionem, sed per accidentis ex malitia operantis ei conjungitur.

Objicies primò contra primam partem conclusionis: Intentio secundum se est prior quam electio: Ergo non sumit malitiam ex illa, quamvis per se & necessariò cum ea connectatur. Consequentia videretur legitima: quia prius non dependet à posteriori.

Respondeo, quod licet intentio sit prior actu electionis formaliter sumpto, ipsa tamen electione, ut virtualiter in intentione contenta, non solum est simul cum actu intentionis, sed etiam aliquo modo prior, quia se habet per modum circumstantie ex parte objecti specificantis intentionis, illudque virtutis, ut supra ostensum est.

Objicies secundò: Intentio eleemosyna, etiam si sciat ex furto, est in specie misericordiae; siquidem per talem eleemosynam verò sublevatur miseria proximi, & impetratur preceptum dandi illam, si insister: Ergo talis intentio est bona, & non vitiatur à prava illa electione, cum qua connectitur.

Respondeo negando Antecedens. Ad cuius probationem dicendum quod eleemosyna, quia est virtus, non constituit in sola sublevatione miseriae, quomodo cumque facta, sed prout decet, & sine prajudicio alterius: unde si quis cum damno alterius sublevet alienam miseriariam, vel det pauperi mulieri pretium meretricij, quo sublevet ejus paupertatem, non facit actum misericordiae, sed iniustitiae, vel impudicitiae. Nec obstat quod per talem actum adimpleat preceptum eleemosynæ ex parte materialis effectus, qui est sublevatio-

A alienæ miseriae: quia sunt quedam præcepta quæ non obligant ad modum, sed solum ad substantiam actus, & sic adimplentur per actus bonos ex objecto, quamvis sint vitiati ex fine, vel aliâ malâ circumstantia.

Objicies tertio contra secundam partem conclusionis: Omnis prævus effectus imputatur cause liberæ: Sed intentio, quæ durat quando postea eligitur malum medium, est libera, & causa talis electionis; non enim potest esse electio, nisi in virtute intentionis: Ergo iste prævus effectus malæ electionis imputatur intentioni perseveranti, & vitiat illam, quamvis per accidens tantum talis intentio & electio inter se connectantur.

Respondeo primò, quod cum eligitur prævum medium post rectam intentionem, non eligitur in virtute ejus; quia cum sit bona, non moveat ad malum: sed tunc formaliter vel virtualiter est alia intentio, influens in illam electionem, subindeque per se cum illa connexa, si non quantum ad specificationem, saltem quantum ad exercitium, ut explicat Joannes à S. Thoma hic disp. II. art. 3. unde tunc haec intentio à tali electione viciatur.

Secundò respondetur, concedendo quod homo utitur bona intentione præterita, saltem virtualiter manente, ad malam electionem: sed propter ea non vitiatur talis intentio, quando cum mala electione per accidens tantum connectitur, quia talis usus & applicatio non est ex vi intentionis, sed ex malitia eligentis, ut antea declaravimus: sicut si quis actum eleemosyna ritè factum, postea ordinet ad inanem gloriam, non vitiatur talis actus, quia hoc provenit ex malitia ordinantis, non ex ipsa eleemosyna.

### S. I I.

#### Secunda difficultas enodatur.

Dico secundò: Intentio boni finis non excusat malitiam prævæ electionis: unde ea quæ sunt intrinsecè mala, ut mendacium, furtum, homicidium, &c. ex nullo bono fine honestari possunt.

Est contra Cassianum Collat. 17. cap. 18. ubi approbare videtur sententiam Abbatis Joseph, dicens licet mentiri propter aliquem bonum finem, ut ad tuendam vitam proximi, vel aliquod grave datum evitandum. Unde cap. 17. sic ait: *Quando igitur grave aliquid imminent de veritatis confessione discrimen, runc mendaciorum sunt recipienda perfugia.* Idem sensisse videatur Author operis imperfecti super Matthæum, ad illa verba cap. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere, & alij quos refert.* Sixtus Senensis lib. 5. Biblioth. annot. 23. Quæ sententia à SS. Patribus, Theologis, & iurisperitis damnatur tanquam erronea: Augustinus enim in libro contra mendacium, cap. 1. multis locis sacrae Scripturæ mendacium nunquam posse honestari ostendit. Idem docet Gratianus in decreto 22. qu. 2. Et Alexander III. in cap. *sip̄ eo de usuris*, respondens Panormitanus Episcopo, sic ait: *Scriptura sacra prohibet pro alterius vita mentiri.* Videri etiam potest S. Thomas 2. 2. qu. 110. art. 3. ubi haec scribit: *Quod est secundum se malum ex genere, nullo modo potest esse bonum & licitum; quia ad hoc quod aliquid sit bonum, requiritur quod omnia recte concurvant; bonum enim ex integrâ causa, malum vero est ex singularibus defectibus,* ut Dionysius dicit 4. cap. de Divin. nomin. Men-

Tom. III.

ii

dacium autem est malum ex genere: est enim actus A cadens super indebitam materiam: cum enim voces naturaliter sint signa intellectuum, innaturale est & indebitum quod aliquis voce significet id quod non habet in mente: unde Philosophus dicit in 4. Ethic. quod mendacium est per se pravum & fugendum. Quibus verbis S. Doctor conclusionem nostram & docuit, & probavit. Potestque confir mari ex eo quod communiter dicitur: Non sunt facienda mala, ut eveniant bona: ex quo patet quod intentio boni finis nunquam excusat malitiam prava electionis.

## S. III.

## Solvuntur objectiones.

**V.** PLURES tamen & difficiles contra istam conclusionem ex Scriptura & SS. Patribus fieri possunt instantiae. Primo objici solent verba illa Salvatoris Matth. 6. Si oculus tuus fuerit simplex, torum corpus tuum lucidum erit. Ubi nomine oculi significatur intentio; nomine vero corporis, opus ex illa profectum: quia intentio se habet ad electionem, ut forma ad materiam, & anima ad corpus. Unde sensus est, quod si intentio fuerit recta, & circa finem honestum, reliquum totius operis honestatem habebit. Idem significari videtur cap. 7. verbis istis: Non potest arbor bona malos fructus facere: nam etiam per arborum bonam, plures ex SS. Patribus intelligent bonam intentionem, que ut arbor produc fructus electionum: Ergo quandiu homo bonam intentionem habet, non potest malam habere electionem, aut aliquid malum facere. Quare Auguſtinus praefat. in Pſal. 31. ait: Bonum opus intentionem, intentionem fides dirigit: non valde attendas quid homo faciat, sed quid cum facit aspirar. Et Ambroſius lib. 1. officiorum cap. 30. dicit, Affactus tuus nomen imponit opere tuo: quasi totum opus ex sola intentione judicari & estimari debeat.

**VI.** Respondeo primo, admissò nomine oculi, & arboris, significari intentionem, & nomine corporis, ac fructus electionem, seu quodcumque opus ex ea sequuntur; & etiam concessò actum, qui ex intentione bona, quatenus tali, proficitur, non posse esse malum, nihil inde contrarios: quia ut conclusione praecedenti ostendimus, intentio eo ipso quod sit causa prava electionis, vitiatur, & efficitur prava; unde non est bona, sed mala, non ratione finis sumpti secundum se, sed ratione medi quod talis finis obtineri intenditur, atque adeo ratione finis reduplicative ut consequibilis per tale medium: sicut enim secundum se malum est, velle furari, aut mentiri, ita est malum velle dare elemosynam ex furto, aut velle tueri vitam mendacio. Solutio est D. Thomae, Abulensis, & Cajetani, super citatum caput 6. & 7. Matthæi.

**VII.** Respondeo secundò ex Auguſtino lib. de ope re Monachorum cap. 26. & Bernardo lib. de pracepto & dispensatione cap. 17. per oculum simplicem non debet intelligi quamcumque bonam intentionem, sed eam solum quae fide dirigitur, & charitate informatur; ex hac enim planum est non sequi per se opus malum, quia charitas non agit perperam, ut ait Apostolus: & de hac intentione seu affectu per charitatem informato, & per fidem regulato, debent intelligi verba Auguſtini, & Ambroſij, in objectione adducta.

Addo etiam pro secundo testimonio, nomine arboris, posse intelligi voluntatem, non præcisè

ut intendentem, sed ut eligentem: quia sicut non radix, sed arbor est, quæ immediatè producit fructum; ita non intentio, sed electio est, quæ immediatè procedit ad opus. Quæ expofitio est D. Thomæ in 2. diſt. 40. qu. 1. art. 2. ad 1.

Objicitur secundò: Multi actus de se mali &

peccaminosi, à Scriptura & SS. Patribus ex bono fine excusantur: Ergo intentio boni finis tollit malitiam prava electionis. Antecedens probatum in mendacio, tum in homicidio: nam Genes. 20. Abraham dixit de Sara uxore sua, quod esset soror ipsius; & tamen non peccavit, ut dicunt S. Auguſtinus lib. 12. contra Faustum cap. 34. & S.

**B** Chrysostomus homil. 52. super Genesim, quia id dixit ad salvandum propriam vitam. Iacob mentitus est patri suo, dicens se esse primogenitum ejus Esau: & tamen solum ob intentionem bonam excusari potest, quia scilicet hoc dixit ad obtaindam patris benedictionem. Iudith in pluribus Holoferni mentita est: & tamen videtur non peccasse, quia id fecit ad salvandum populum suum. Item obstetrics Ægyptiæ mentita sunt Pharaoni: quæ tamen non videntur peccasse, quia id faciebant ad impediri homicidia parvulorum: unde dicitur Exodi 1. Benè fecit Deus obstetricibus: constat autem Deum non remunerare peccata. Idem probatur de homicidio: nam Exodi 2. Moyses occidit Ægyptium autoritate propria; & ex bona intentione liberandi proximum suum, excusatur. Judicium 16. Sanſon ſeipſum occidit cum multis Philistæis, columnas templi concutens: & tamen non peccavit, quia ex zelo Dei id fecit, ut Philistæos inimicos populi Dei occideret: unde ab Apostolo inter Sanctos connumeratur, ad Hebreos 11. Beata etiam Apollonia, Spiritus Sancti igne succensa, in rogum se proiecit, ut narrat ejus historia. Scribit etiam D. Ambroſius lib. 3. de virginibus, Pelagiam Virginem præcipitem se dedisse in flumen, ne à persequente milite violaretur. Idemque laudabiliter fecisse tempore persecutionis alias sanctas fœminas, ut invasores suis pudicitie effugerent, refert S. Auguſtinus lib. 1. de Civit. cap. 6. Propter quod dicit Hieronymus super cap. 1. Jona: Quod non licet propria se occidere manu, abh[ic]que eo ubi castitas periclitatur: Ergo sentit quod ex bona intentione servandi castitatem purgatur malitia homicidij.

Respondeo negando Antecedens. Et ad illa que afferuntur pro mendacio excusando, in primis dico, Scripturam multorum mendacia referre, sed non ea approbare, aut excusare: unde quando obstetrics mentita sunt Pharaoni, pro illo mendacio non sunt remuneratae à Deo, sed pro timore quem habuerunt erga Deum, propter quem infantes Hebreos noluerunt occidere, ut ait D. Thomas 2. 2. qu. 110. art. 2. ad 2. & patet ex illo Exodi 1. Quia timuerunt obstetrics Deum, edificavit illis domos.

Secundò dico, Abraham non fuſſe mentitum, cum dixit Saram esse sororem suam: quia verè soror erat ex parte patris, quamvis non ex parte matris, ut dicitur Genes. 20. licet voluerit tacere quod esset uxor: unde Auguſtinus dicit in questionibus super Genesim, quod Abraham, dicens Saram esse suam sororem, veritatem voluit celari, & non mendacium dici. De Iacob etiam dicendum est, ipsum non fuſſe mentitum, dicendo Patri, Ego sum priuogenitus tuus Esau: tum quia priuogenitus illius de jure ei debebantur, & sic se appellabat Esau, non in

## DE MORALITATE ACTVS INTERIORIS. 251

persona, sed in jure, sicut Joannes dicitur est A Elias, non in persona, sed in spiritu: tum etiam quia loquebatur propheticè & in sensu mystico, ut scilicet designaret quod minor populus, scilicet Gentilium, substituendus erat loco majoris, scilicet Iudaorum. Unde ait D. Thomas loco citato in resp. ad 3. *Quod in Scriptura sacra inducuntur aliorum gesta, quasi exempla perfectae virtutis, de quibus non est estimandum eos fuisse mentitos: si qua tamen in eorum dictis apparent, qua mendacia videantur, intelligendum est ea figuratim & propheticè dicta fuisse.* Iudith quoque in verbis quæ Holoferni dixit, cum magna cautela & prudenter locuta est, & aliquibus amphiboliis, non tamen mendaciis, voluit eum decipere; sicut cùm dixit, quod duceret illum per medianam Hierusalem, & ne unus canis latraret contra illum, nam revera illum adductura erat per medianam Hierusalem, sed mortuum, non vivum, deferendo caput ejus &c. *Quod si in aliquo verbo fortassis mentita est, non ex eo laudatur, sed ex charitate & affectu ad salutem populi.*

Ad id quod dicitur de homicidio, respondebat quod si Moyses est excusandus in occidente ilius Ægyptij, dicendum est id fecisse, vel ex inspiratione Dei, qui ad hoc ei autoritatem tunc dedit; vel ob justam proximi defensionem, quia videbat fratrem suum seu proximum injuncte ab illo Ægyptio affligi & opprimi, & non erat alia via defendendi ipsum, quam invasorem occidendo. Ad casum de Sancione dicimus, illum Spiritu Sancto instigante id fecisse, atque adest licet, ut docent S. Augustinus t. de Civit. cap. 21. & 26. & D. Thomas 2. 2. quæst. 64. art. 5. ad 4. Idem dicendum de illis sanctis feminis, quæ tempore persecutionis seipſas occiderunt, aut in flumen precipitarunt, ut invasores suæ pudicitia effugient, ut ibidem tradit S. Doctor.

Solum difficultas est in verbis Hieronymi, quibus videtur docere, licitum esse seipsum occidere ad servandam castitatem. Duplex tamen huic testimonio potest adhiberi responso. Prima est, Hieronymum solum velle, licere se occidere propter periculum castitatis, quando id sit ex instanti Dei, qui frequentius aut certius adest solet, cùm interveniat periculum castitatis, quam in aliis casibus. Secunda est, sensum S. Hieronymi esse, non licere propria perire manu, eti castitas periclitetur. Nam dictio *absque*, non semper sumitur exclusivè, sed aliquando affirmativè & copulativè, ut patet ex illo Cant. 4. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet.* Ubi dictio *absque* non excludit quod intrinsecus latet à pulchritudine, cùm legamus Psalm. 44. *Omnis gloria ejus filia Regis ab intus: sed sensus est, etiam pulchra es, præcipue in his que latent.*

E Ex dictis inferes, errasse, & graviter peccasse Originem; qui ut refert Nicephorus lib. 1. histor. cap. 32. post multa perpessa supplicia pro fide Christi, postmodum pro servanda castitate, ne videlicet juvenis quidam Ethiops abuteretur illo, fidem exterius negavit.

### S. IV.

#### Tertia difficultas expeditur.

Dico tertio: Intentio boni finis diminuit malitiam pravæ electionis. Ita communiter docent Theologi contra Almaïnum, Lorcam, & paucos alios.

*Tom. III f.*

Probatur conclusio ex communi omnium, non solum Theologorum, sed etiam fidelium consensu: omnes enim sibi persuasum habent, minus peccatum esse, mentiri ad tuendam vitam proximi, vel aliquod grave malum vitandum, quam sola libidine mentiendi. Unde D. Thomas 2. 2. qu. 110. art. 2. sic habet: *Quanto bonum intentum est melius, tanto magis minuitur culpa mendacij.* Idem docet Gratianus Can. primum 22. qu. 2. ubi ait: *Mendacium tantò esse levius, quanto meliorem habet finem.* Similiter nullus fidelium est, qui non existimet cum qui furatur ad dandam eleemosynam, minus peccare, quam qui furatur ex cupiditate pecuniae, juxta illud Augustini: *Pejor est qui concupiscendo, quam qui miserando furatur.*

Ratio etiam id suadet: Tum quia qui furatur ad dandam eleemosynam, habet voluntatem minus deordinatam & minus affectam peccato; cùm non habeat pro motivo furtum ut est malum, sicut alter, sed ut indui apparteret quanquam speciem boni honesti: Tum etiam quia furatum est ab ipso minus volitum; cùm non sit volitum propter se, sed tantum propter aliud, in quod primariò, principalius, & ultimè tendit affectus: Sed malitia moralis minuitur, cùm minuitur ratio voluntati: Ergo &c.

Confirmatur: Sicut circumstantia aggravat peccatum, ita & illud diminuit, ut docet D. Thomas infra qu. 73. art. 7. Sed intentio finis est una ex circumstantiis: Ergo sicut aggravare, ita & diminuere potest peccatum.

### S. V.

#### Solvuntur objectiones.

**O**RICIES primò: Omnis finis, quantumvis sit bonus secundum se, tamen si moveat efficaciter ad malum medium, vitiatur, & efficitur malus, ut §. 1. vidimus: Ergo non minuit, sed potius auger malitiam pravæ electionis. Pater consequentia: nam illud quod est malum, non minuit, sed potius auger malitiam. Unde Augustinus lib. 50. homiliarum, homil. 7. relatus cap. fortiè 14. qu. 5. ait: *Quod hæc cogitatio, volo furari à divinis, ut dem pauperibus, diaboli calliditate suggestur; nam si torum quod abstulit tribuat, auger potius peccatum quam minuat.*

Confirmatur: Qui furatur ad dandam eleemosynam, constituit ultimum finem in eleemosyna, & non tantum in furto, cùm propter eleemosynam faciendam, transgredietur preceptum divinum non furandi, & à Deo ut ultimo finie avertatur: Ergo gravius peccat propter intentionem talis finis.

Ad objecionem respondeo, quod licet intentione eleemosynæ, ex qua imperatur malum medium, sit mala in individuo, habet tamen speciem boni, & ex objecione est bona: unde ex hac parte potest minuere malitiam pravæ electionis; non quidem per se, seu per introductionem aut admixtionem alicuius bonitatis, cuius prava electione capax non est, nec actus intentionis vitiatus à mala electione potest illam communicare; sed per accidens, quatenus scilicet intentio eleemosyna facit furtum esse minus voluntarium, & minus per se intentum. Sicut passio antecedens, & inducens ad actum malum, licet sit mala, minuit tamen peccatum, quia facit illud minus voluntarium.

Ad locum vero Augustini duplex potest ad-

*Iij*

## DISPUTATIO SEXTA

252

hiberi solutio. Prima est, Augustinum solum velle quod ille qui furatur, & dat eleemosynam ex re furto sublata, gravius peccat per accidens, quatenus scilicet reddit se impotenter ad faciendam restitutionem, ex quo nova injuria sit vero domino; & hoc innuunt verba illa: *Si rotum quod abstulit tribuat.* Verum haec impotencia non oritur ex ipsa eleemosyna, quatenus eleemosyna est, sed ex eo quod ille qui furatur, non habet unde reddat, quod utique eodem modo sequeretur, si rem furatam, non in eleemosynam, sed in ebrietatem, scortationem, aut aliam rem impenderet: unde eleemosyna non per se, sed per accidens tantum influit in illam impotentiam restituendi, subindeque per accidens tantum auget peccatum.

Secundò hæc verba, auget potius peccatum quam minuat, explicari possunt de augmento malitia, non quantum ad gravitatem, sed quantum ad numerum peccatorum: ibi enim Augustinus agit contra hereticos, existimantes licitum esse facere mala ut eveniant bona, sive licitum esse furari ad dandam eleemosynam; & ut talem errorem destruet, docet peccatis etiam bona intentione factis, augeri numerum peccatorum; nam cum talia peccata, etiam si minora sint peccatis mala intentione factis, revera peccata sunt, & bona intentione non totaliter excusat, ut s. præcedenti docimus, illis multiplicatis, non minuitur, sed potius auget numerus peccatorum.

28. Ad confirmationem dicendum cum Cajetano 2. qu. 148. art. 4. dupliciter aliquid posse habere rationem ultimi finis respectu peccatoris, primò ut quod, tanquam rem qua ut ultimus finis appetitur; secundò ut quo, tanquam rationem propter quam in illa re ratio ultimi finis constituitur: v. g. fœmina respectu luxuriosi habet rationem ultimi finis ut quod, quia est res qua ut ultimus finis ab ea appetitur; ejus vero pulchritudo, quæ est ratio movens & inducens impudicum, ad hoc ut avertat se à Deo ut ultimo fine, & ad talem creaturam se convertat, habet rationem ultimi finis solum ut quo. Quod ergo habet rationem ultimi finis primo modo, non minuit, sed auget malitiam peccati: id vero quod tantum secundo modo est ultimus finis, potest malitiam peccati seu prava electionis minuere, non quidem ex ea parte quæ malum est, vel inducens ad malum, sed quatenus alias secundum se induit rationem boni, & facit actum esse minus voluntaria: unde cum isto secundo modo eleemosyna habeat rationem ultimi finis, quando moveret ad furandum, non auget, sed minuit malitiam furti.

29. Objicies secundò: Si aliquis ex malo fine eligit aliquid medium bonum, v. g. ex intentione adulterij eligat ire ad Ecclesiam, vel dare eleemosynam, ex bonitate talis mediæ electi non minuitur, sed potius augetur peccatum mala intentionis; cum tunc ex majori inclinatione in pravum illum finem feratur: Ergo pariter voluntas finis intenti non minuit, sed auget malitiam prava electionis. Consequens patet à paritate rationis: nam sicut finis est circumstantia electionis, ita è converso electio est circumstantia intentionis: Ergo si una non minuit malitiam, licet sit circa objectum bonum, alia pariter eam non minuet, quamvis sit circa objectum honestum.

30. Respondeo concessio Antecedente, negando

A consequentiam, & paritatem. Ratio discrimen est, quia finis est circumstantia *cirr.*, movens voluntatem ad eligendum, eique præbens rationem formalem volendi; unde ex bonitate rei intentæ potest minuere malitiam prava electionis, minuendo voluntarium pravum, ut antea expusimus: medium autem seu electio est circumstantia *quid* respectu intentionis, & se habet ut ejus effectus, & ut quid consequens ad ipsam; unde est medium sit bonum ex objecto, non minuitur malitia prava intentionis, sed potius tota malitia intentionis, redundant in ipsum medium, tanquam in ejus effectum, omnemque ejus bonitatem destruit.

B

### ARTICVLVS II.

*Vtrum voluntas humana, ut recta sit, debeat conformari divine, non solum in volito formalí, sed etiam in volito materiali?*

S. I.

*Quibusdam præmissis difficultas resolvitur.*

C **N**O TANDVM primò: Quod licet prima regula humanorum actuum, quæ est lex aeterna, præcipue consistat in dictamine intellectus divini; quia tamen efficaciam & vim obligandi sumit à voluntate divina, D. Thomas hic art. 9. inquirit utrum bonitas voluntatis humanæ dependeat ex conformitate ad voluntatem divinam? Et respondet affirmativè: quia (inquit) unumquodque rectum & bonum est, in quantum attingit ad propriam mensuram: prima autem humana voluntatis regula seu mensura est divina voluntas; cum illa sit ipsa rectitudine & sanctitas per essentiam, & summum bonum, ac ultimus finis: Ergo ad hoc quod voluntas hominis sit bona, requiritur quod conformetur voluntati divinae. Unde Augustinus in Ptol. 32. expolens illum versiculum, *Rectos decet collaudatio*, ait: *Rectum cor habet qui vult quod Deus vult.*

D Notandum secundò ex eodem S. Doctore art. 10. ejusdem questionis, quatuor modis intelligi posse, voluntatem nostram conformari divinæ in operando, secundum quatuor causarum genera. Primò in genere cause finalis, in quantum voluntas nostra vult propter eundem finem, propter quem divina. Secundò in genere causa formalis, quia nimur eadem est, saltem analogicè, utriusque forma: & hanc habet quando operatur ex charitate, quæ est analoga divina dilectionis, ex qua Deus semper operatur, participatio. Terziò in genere causa efficientis, quatenus Deus vult aut permittit nostram voluntatem velle quod vult, & eam ad volendum applicat; & hoc modo semper voluntas nostra conformatur divina; quia semper vult quod Deus efficaciter discernit, aut permittit eam velle, ut fusè ostendimus in tractatu de voluntate Dei, agentes de efficacia divinorum decretorum. Denique in genere causa materialis: & hec conformitas defumitur ex parte objecti, quod se habet ut materia circa quam; unde reperitur in nostra voluntate, quando vult idem objectum quod divina. Quod ut magis declaretur.

E Notandum est tertio, ex qu. 23. de veritate art. 7. In objecto voluntatis duo esse consideranda: unum quod est quasi materiale, scilicet ipsa